

dicè, enormiter corpulentus, corpulentior aut habitior; quæ vocabula omnia obesum corporis habitum, Græcâ lingvâ indigitant.

Germani reddunt obesitatem ita : Fett-oder Starck-leibig/ übrige Fett-oder Feistigkeit.

CAPUT II.

De obesitatis definitione ipsiusque adiunctis.

Placet autem nobis obesitatem exsuperantem definire sequenti ratione : Obesitas est habitus sani & integri corporis auctus, à mole musculorum & pingvedinis imprimis ortus, qui Symmetriam corporis excedit, functiones varias vel actu vel potentiâ facile lædit, aut suffocationem mortemque ipsam sæpe minatur. Quod *εξω* vel habitus corporis inter alios significatus denotet constitutionem ipsius externam imprimis & in oculos incurrentem, constat ex variis locis *Hippocratis* & *Galen*. Sic titulum etiam fecit sui tractatus non temnendi *Conringius*, quem conscripsit & inscripsit de habitus corporum Germanicorum causis. Genus nostræ definitionis fecimus habitum, quò ipso putamus nos non impingere in statum neutrum, ad quem quidam referunt obesitatem, & quidem quatenus eadem non planè præternaturalium classem subit, aut quando hæc nondum ad summum statum inclinat vel evecta est. Non ita commodè verò nostrum affectum per tumorem definiiri posse arbitrati sumus, cum tumor morbidum statum magis involvere videatur : quâ ratione verò incusemus morbi obesitatem reliqua verba definitionis nostræ indicabunt. Cum *Galeno* equidem *Sennertus in Prax. lib. 5. part. 1. c. 4. p. 21.* ad tumores illam refert, quod alios pariter imitari observavimus. Sic *Gabr. Fallopius in operum tom. 2. tr. 10. c. 2. p. 328.* dicit, obesitatem quidem à *Galeno* ad tumorum speciem referri, sed non omnem tumorem morbum esse annectit; ideò etiam supra naturam, non præter naturam, id est supra habitum naturalem esse statuit obesitatem, cum plurimi obesi fungantur actionibus propriis